



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXLIX. Cantate Domino canticum nouum, &c. Carm. gen. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Ignes, niues, & grandines,
 Vaporq; & auræ spiritus,
 Ad iussa Domini mobiles
 Circumrotantes turbines.
 Colles feraces, & feri
 Montes, & omnes arbores,
 Seu montibus rigescitis:
 Seu cultibus mansuescitis:
 Mites feræq; bestiaë,
 Humiq; lentè reptiles,
 Et quæ liquentes aëris
 Campos uolando carpitis:
 Reges & orbis præfides,
 Et nationes liberaë,
 Et pauperi plebeculæ
 Qui ius ab alto dicitis:
 Et uos iuuenta florea
 Lati puelli & uirgines,
 Senesq; uitæ in ultimo
 Iamiam exituri limine,
 Laudate Dominum: numini
 Sit eius uni gloria,
 Vnumq; noscat omnium
 Cælum solumq; principem.
 Hunc omne in æuum laudibus
 Propago tollat Ifaci:
 Sibi dicatam qui bonis
 Gentem beauit omnibus.

PSAL. CXLIX. *Cantate Domino can-*
ticum nouum, &c.

Carm. gen. 13.

S iij

Cantate Domino canticum
 Nouum: sonet laus illius
 Cœtus per omnes, qui sacris
 Non se profanis polluunt.
 Oblectet Isaci genus
 Auctore se suo: suo
 Regi Sionis arduæ
 Congratulentur filiæ:
 Nomen celebrent illius
 Lætis choris & tympanis:
 Eiusq; laudes accinant
 Blandè canoro pectini.
 Gentem bonus parens suam
 Amore sancto amplectitur,
 Mitèmq; mansuetudinem
 Firmat salute immobili.
 Cœtus piorum ut gestiant
 Foris parata splendido,
 Domiq; secum clanculum
 Lætentur in cubilibus.
 In ore, rerum præsidis
 Laus continenter personet:
 Vtrinq; acui in dexteris
 Vibrentur enses uindices.
 In se ferarum ut gentium
 Crudelitatem uindicerent:
 Et in futurum iras, minas,
 Superbiamq; comprimant.
 Reges suorum ut hostium
 Arctis catenis alligent,
 Et ferreis coërceant

Vinclis

Vinculis feroces principes.
 Pœnas secundum cœlitus
 Præscripta ab ijs ut exigant,
 Et laus piorum peruolet
 Omnes per orbis cardines.

PSAL. CL. *Laudate Dominum in sanctis
 eius, &c.* Carm. gen. 13.

Laudate Dominum, lucidum
 Templum colentem siderum,
 Qui vi suæ potentæ
 Firmavit orbis cardines.

Laudate Dominum fortiter,
 Vbiq; gestis inclytum.
 Laudate magnitudinem
 Captum supra mortaliū.

Laudate Dominum bellicæ
 Claris tubæ clangoribus:
 Laudate Dominum nablijs,
 Lyrisq; blandè garrulis.

Laudate Dominum tympanis,
 Choriq; festi cantibus:
 Laudate Dominum fidibus, &
 Sonore dulci tibiæ.

Laudate eum tinnitibus
 Lætis canori cymbali.
 Hæc cuncta laudent quæ trahunt
 Vitalis auræ spiritum.

S iij